

THESIS I.

ROMULUS  
duo respexit  
propriam  
Dominatio-  
nem & Rei-  
publicæ po-  
tentiam.

**A**ccedimus nunc propius ad *sapientissimum a) Romulum*, qui, sicut omnes alii, duplicem actionibus præfixerat finem, *primarium* alterum, alterum *secundarium*. Primarius quidem ipso Livio teste *b) ab avito malo regnandi libidine* propositus nihil aliud erat, quam *propria & solitaria dominatio*, cujus pulcherrimum nomen ita quorundam præstringit oculos, ut cum Jasone *c) extra regnum* ne minimam quidem quæri posse felicitatem affirmare non dubitent. Secundarius vero sine quo prior vix obtineri potest, in ipsius *Reipublicæ potentia* consistebat. Respublica enim si absit, quæ futura est dominatio? talis forsan, qualem Perseus Paulo Consuli suppliciter *d) & Maroboduus ad Tiberium profugus e) subscriptis regniis titulis somniarunt*; vel qualem apud Pontificios Episcopi Hierosolymitani, Corinthii, Philippenses, aliarumque ecclesiarum à Turcis ereptarum sibi tribuere solent *f)*

a) Flor. lib. 1. cap. 1. b) cap. 6. c) Arist. 3. polit. 3. d) Flor. lib. 2. cap. 12. e) Tacit. 2. Ann. cap. 63. f) Boxhorn. Inst. Pol. expl. in lib. 1. cap. 4. §. 4. Cyr. Lentul. Aul. Tiber. ad 5. Annal. Tac. n. 21. fin.

Dominatio-  
nem acqvi-  
rebat, suam  
personam  
ornando;  
Populum in  
amore & ti-  
more simul  
conservan-  
do; Amu-  
los è medio  
tollendo.

II. Dominationem quod spectat, quia triplices in ea occurrunt personæ, triplici quoque ad eandem obtinendam opus fuit consilio. Primo enim se ostendit ipsa *dominans persona*, quæ vario splendore ornanda & subditis commendanda est. Nam si *imperare est divinitatem emulari*, a) si etiam Majestas Augustino *rectè audit tradux cæli*, b) eo anniti debent Principes, ut magno intervallo à subditis separati videantur, quemadmodum Dei immortalitas nostram superat & præcurrit mortalitatem. Excipit principem altera persona, quæ est *obsequentium s. populi*, illa partim ad amorem allicienda, partim in timore conservanda est. Quamquam enim *hæc est arx inaccessa & inexpugnabile munimentum munimento non egere* c) atque;

*Non sic excubie nec circumstantia tela*

*Quam tutatur amor: d)*

Tamen quia nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum e) salutaris rigor interdum vincat inanem speciem clementiæ f) dummodo fides metu non frangatur. g) Tandem insultant

*Amuli,*